

1^a

IN ADVENTVM

SACRATISSIMI CAESARIS

DIVI MAXIMILIANI II. RO.

manorum Imperatoris inuictis-

simi, Augusti, pij, inclyti,

felicisque &c.

ELEGIA SCRIPTA

Authore

NICOLAO REVSNERO

Leobergenſe Sileſio.

AVGVSTÆ VINDELICORVM

Philippus Vihardus excuſebat,



AQVILA INVICTISSIMI AC
POTENTISSIMI CÆSARIS
DIVI MAXIMILIANI SECVNDI

Romanorum Imperatoris, p̄ij, felicitis
inclyti, semper Augusti, &c.

Ακρότερον πέταται πεπενω̄ν αἰετὸς ἄλλω μ,
καὶ π̄ηλοῖς τύπ̄ει αἰθέρα διορ̄εοῖς.
Οὐκ ἄλλως ἀρετὴ σέο καὶ κλέος οὐρανόμ ἦκε,
ΜΑΞΙΜΕ κυτονικῶ κλειτὸν ἔρασμα πέδ' ο.



Subuolat ut grauibus Iouis armiger altius alis,
Verberat ac pennis sydera celsa suis:
Sic tua te virtus & gloria nubibus aequat,
MAXIME Teutonici spes columenq; soli.

IN ADVENTVM SACRATIS
SIMI CÆSARIS DIVI MAXIMILIANI II,
Romanorum Imperatoris inuictissimi,
Augusti, pij, inclyti, felicisq; &c.

Quos iterꝝ plausus Musq; quæ festa paratis?
Læta quid arguto carmine vota datis?
Gurgite quid Clarias eructat lætior vndas?
Afficit & leni murmure prata Licus?
Sydera quid puro festinant cedere cœlo?
Noxq; soporiferum cæca coarctat iter?
Nondum consueto tenebrosa silentia cantu
Purpureæ rupit nuncia lucis auis.
Exerit Oceano roseum Tithonia vultum,
Luciferiq; mouet præuia Solis equos.
Suspice, iam visus effugit Parrhæsis Arctos,
Arcturi rarum lucet in axe iubar.
Languet Hyperboreæ custos euanidus vrsq;
Cumq; lyra cœlo regia cecidit auis.
Obstupet Erigone subita Marathonica luce,
Abdit & indignans fulgida corda Leo.
Quò tantū properas Eos? quæ gaudia veras?
An cupis hanc læta ducere mente diem?
Cū loue Mars etiã summo delapsus Olympo
Vrbibus adueniens bellica signa dedit.
Dum loquor, emouit totū iam Cynthius orbē,
Purius æthereis emicat ortus equis.
Densa serenato fugerunt nubila cœlo,
Pacatis spirat mollior aura notis.

A ij Ridet

Ridet ager passim, rident rorantia prata,
Lætitia saliunt, luxuriantq; greges.
Fallor: an agnosco causam, tēpusq; p̄pinquum
Auguror aduentus MAXMILIANE tui.
Iam tibi iam cultos ostentat Rhetia campos,
Passim iactat opes vrbs populosa suas.
Molitur reduci vitreus noua munera Mogus,
Rhenus & effusis qui fluit auctus aquis.
Dona Nicer iungit, iungit sua spumifer Albis,
Quicq; tuā findit Marchia Sueuus humum.
Nec celer emerito te fraudat honore Mosella,
Quodq; ferat munus Noricus Ister habet.
Sentit, & extollens sinuoso flumine mentum
Altius ac placido defluit amne Licus.
Gaudet & Aonijs Charites cōiungere Musis,
Blandaq; Phœbea pleetra mouere chely.
Cui soror astipulans bibulo sub littore doctos,
Exercet læto carmine Vinda choros.
Pulsaq; iam cellis resonant sub turribus æra,
Increpitant agili tympana quassa manu.
Machina sulphureas iā torquet ahenea glādes,
Actaq; tormentis ærea laxa volant.
Dissultant fremitu colles, fremitūq; frequentāt,
Ictaq; terrificis affonat aura sonis.
Sicut vbi grauibus spissata nubibus æthra,
Fulminibus trifidis fulgura torta cadunt.
Vndiq; turba vijs in agros ruit obuia plenis,
Inq; foro populus feruet & ante domos.

Iamq;

Iamq̄ coit sanctus fida cum plebe senatus,
Qui summum læta munus in vrbe gerit.
Instruit electas solito de more cohortes,
Prælia qui sæui cognita Martis habent.
Tegmen habent capiti galeas ex ære rigentes,
Sanguineo cincti militis ense latus.
Tortaq̄ robustos vrget lorica lacertos,
Ærataq̄ grauat cuspidis hasta manum.
Regis in occursum comitati milite denso,
Eductis ciues progrediuntur equis.
Nunc ô nunc animis vrbs excipe læta paratis,
Insignes meritis & pietate Duces.
Excipe magnanimũ regem, desisteq̄ tandem
Tempora longinquæ dinumerare viæ.
Desine, non dubijs vltra torquebere votis,
Iam voti tandem facta precumq̄ potens.
Aspice, regalis longo procul ordine pompa
Ducitur, & magno turba fauore fremit.
Quos ô quos memorẽ cœtus, q̄ splendida luxu
Agmina, vix animo visa notare licet.
En ut equi niteant auro, phalerisq̄ superbi,
Ad lituos hilares, intrepidicq̄ tubis.
Quam caput hic gerit argutũ, q̄ nobile pectus,
Tergaq̄ cum tenui celsus obesa iuba
Trãuersos vasto glomerãs hic corpore gressũ
Frena ferox niueo spumea dente terit.
Altius ingrediens hic mollia crura reponit,
Gestit & in medijs luxuriatq̄ vijs.

Impiger hic iactans erecto pectore crura,
Ferrato quassat laxa niuemq; pede.
Quos tamē hic p̄ceres sublimibus ire caballis?
Quos valida cerno tendere lora manu?
Omnibus eximiae vires, decor omnibus idem,
Naturae facies arguit esse bonae.
Exornant Tyrias gemmata monilia vestes,
Ingenium longē nobile vincit opes.
Quis mihi nūc reliquos memoret? quos ordine
Insignes animi dotib⁹, agmē habet. (longo,
Pars galeis apicem cristatis obtegit altam,
Tempora pars pullo tegmine cincta gerit.
Nunc iuvenes primae vernantes flore iuuentae
Prouecti nitidis conspiciuntur equis.
Quantus inest fulgor, q̄p̄ florida gratia mēbris,
Emitat ex oculis viuis & ore nitor.
Exculti placido subsunt in pectore mores,
Eminet ingenij, iudicij, q; vigor.
Ecce qd hoc: rauco certāt caua tympana pulsu
Signa q; terribiles nota dedere tubae.
Horrida sulphureas vibrant tormenta fauillas,
It clangor caelo, fulmineusq; fragor.
Aurea pompa venit, linguis animisq; fauete,
Edite nunc plausus, aurea pompa venit.
O, mihi qui monstret p̄ceres, & nomina dicat,
Quos magni video Regis obire latus.
Elucet vultu sapientia magna sereno,
Sanguine praelustri suspicor esse satos.

Cæsarei

Cæsarei gestant nunc regia sceptrâ ministri,
Murice fulgentes splendidiore viri.

Conspicuis iuxta lucent in vestibus auro
Tres orti magna nobilitate Duces.

Occupat en dextram Pomeranæ gloria gentis,
Ingenio princeps eloquiocq; potens.

Ioannes Frides-
ricus Dux Pos-
meraniæ.

Viuit in hoc virtus clari memoranda parentis,
Hæredem reperit lausq; paterna suum.

CAROLVS illustri regum de stirpe creatus
Alæua pulcri tergore fertur equi.

Carolus Dux
Monsterber-
gensis in Siles-
sia.

Quid magis admirer dubiũ, nũ corporis artus,
An animi dotes, ingenijque decus.

Principis in medio procedit filius alti,
Inclÿta Boiariæ qui modò regna tenet.

Guilelmus Al-
berti Ducis Bas-
uariæ F.

Quem decor, & lætæ cõmendat gratia frontis,
Et forma probitas dignaq; parq; bona.

Ponẽ parens habitu sequitur vestigia pullo,
Ambiguum natus dignior, anne pater.

Albertus senior
Dux Bauariæ.

Quanta Ducis grauitas extat, q; viuida virtus,
Quàm grandi validũ corpore robur habet.

Grandia condecorat facies Heroica membra,
Qualis in eximijs regibus esse solet.

At iuxta nudum portat vir strenuus ensẽ,
Cæsareumq; regit conspiciendus iter.

Henricus à Pap-
penheim, Mar-
scalcus Imperij.

Nunc oculis totis opus est, nunc pectore toto
CAESAR adest, oculos tollite, Cæsar adest.

Cæsar adest, placidos ad eum cõponite vultus,
Imperij Dominum noscite, Cæsar adest.

schu

Ecce

MAXIMILI-
ANVS Impe-
rator.

Maria Caroli v.
Cæsaris filia, re-
gina Hispaniæ,
coniunx Maxi-
miliani Imper-

Ecce figurata nitidi sub imagine cœli
Regali summè ductus honore nitet.
Quem sonipes ostro portat præsignis & auro,
Lætitiâ gressu qui grauiore refert.
Clangit, & applaudit rapidis Iouis armiger alis
Arduus, alarum plausibus aura strepit.
Cæsaris à pedibus claris natalibus orti
Augustæ proceres tegmina picta ferunt.
Innumeri claudunt custodes vndiq; septum
Corporis, ac humeris bellica Gesa ferunt.
Aurea nunc veniunt summo carpenta nitore,
Maxima quæ procerû stipat vtrinq; manus.
Insidet his gēmis fulgens AVGVSTA coruscis,
Cæsare digna viro, Cæsare digna patre.
Cæsaris & fieri mater dignissima magni,
Sola Sibyllinos vincere digna dies.
Qualis manè nouo cœli candentibus astris
Lucifer, Auroræ nuncia stella, micat:
Talis in ore decor fulget, sic lumina flagrant,
Ex roseis virtus emicat alta genis.
Prouida cum facie mores natura pudicos,
Et raras dotes, in geniumq; dedit.
Moribus huic Iuno cedit, Venus aurea forma,
Dotibus est animi casta Minerua minor.
Prosequitur magnus Nympharû cœtus euntē,
Quas decor exornat, purpureusq; pudor.
Magnificę fulgent gemmatis vestibibus omnes,
Quælibet aurato conspicienda sinu.

Turba

Turba ministrorū sequitur fulgentibus armis,

Qui galeas patrio scutacq; more gerunt.

Symbola cum pennis hærent in callide pictis,

Fulgida vestitus contegit arma niger.

Iam propè finis adest regalis in ordine pompe,

Grandibus extremū cernitur agmen equis.

Vindelici verſo claudunt iter agmine ciues,

Quos exire ſua vidimus vrbe prius.

Quid moror hic? porro nūc ire, magisq; tueri,

Dum datur, inuicti Cæſaris ora iuuat.

Ecce venit gemmis, Syriocq; decorus amictu,

Fallor: an è ſacra iam redit æde domum.

Aspice, quæ pietas vultu, generoſaq; virtus,

Quàm magnum nitido fulget in ore decus.

Aspice tam blandos oculos, frontemq; ſerenā,

Manſuetum facies pectus habere docet.

Nulla potes torui cognoſcere ſigna Tyranni,

Mitior hoc nullus Cæſare iura dedit.

Tardus ut ad pœnam, ſic eſt ad præmia velox,

Cogitur iniuſtis ſæpius eſſe ferox.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos

Principis officium cogitat eſſe boni.

Inuigilare feris attento pectore pœnis,

Ac hominum paſci ſanguine turpe putat.

Iuſtitiaꝝ populos frenis legumq; coërcet,

Prudenti ſpectans publica mente bona.

Quid:q; et afflictaſ hac tempeſtate Camænas,

Pegaſeicq; ſouet numina ſacra chori.

Patritij & ciues
Auguſtani.

B Debita

Debita munificus virtuti præmia confert,
Nec tenet occlusas ad pia dona manus.
Artibus ingenuis iuuenili deditus æuo,
Ingenio meruit nobiliore decus.
Eminet hinc tanto clementia principe digna,
Iudicio tantum dexteritatis inest.
Quid loquar, armorum quæ rectè calleat artes?
Maxima virtutis iam documenta dedit.
Hic vir hic est, quæ cura manet fulcire labantis
Imperiij vires, imperijque decus.
Qui rabiem Thracum cohibere, piosque tueri
Ardet, & hostili soluere regna metu.
Omnis in hunc oculos populus reflectit et ora,
Omnis ad hunc vnum se recipitque fauor.
Iamque sibi reges deuincit foedere pacis,
Bellaque conatur tollere mota domi.
Fortior ut iunctis inuadat viribus hostem,
Frangat & audacis tela cruenta Scythæ.
Augeat imperium Regis Deus, augeat annos,
Impleat ut Pylis secula longa Ducis.
Auspiciisque Dei præclari sanguinis hæres
Excipiat magni ferius orbis onus.
Dum meditor, tenues vox hæc perlabit auras,
Desine tam breuibus magna referre modis.
Ausus es omnium, tanti præconia Regis
Præcipuo fuerant ore canenda tibi.
Excipio, robur mihi, non animosa voluntas
Defuit, in magnis sit voluisse satis.

Hactenus

Haëtenus hæc: subijt iã maximus atria Cæsar,
 Quæ cultu passim versicolore nitent,
 Nunc locus affari coràm, nunc fausta precari
 Res finit, ò humiles concipe Musa preces:
 Salue magnorū decus in dlyte CAESAR auorū,
 Salue Germanæ maxime gentis honor.
 Arbiter imperij præstans, quo sospite nunç
 Teutonix victas Turca videbit opes.
 Sis bonus ò felixq; tuis, sis optime præsens,
 Regna tuo facilis fulta fauore iuua.
 Quodq; facis, patriæ nunc assere quæso salutē,
 Saucia ciuili quæ modò strage iacet.
 Aspice, nam quantis exhaustæ cladibus vrbes,
 Marte solum passim depopulante, ruant.
 Aspice, qui casus miseros, quæ damna sequant̃,
 Bella domi feruent dum fera, bella foris.
 Fulminat & sæuit violentis Turcicus armis
 Prædo, nec exigua funera clade facit.
 Sanguineoq; furit spaciola per oppida ferro,
 Exurens humiles igne furente casas.
 Et tanquam desint, quæ se sine fine fatigent,
 Accumulant ipsi tristitia damna Duces.
 Prælia post habito moderamine mutua miscēt,
 Intentantq; sibi fata suoq; gregi.
 Exulat imperio concordia spreta, fidesq;
 Interijt pietas, interijtq; pudor.
 Dissidijs ardent sauisq; tumultibus vrbes,
 Cognatoq; rubet pingue cruore solum.

Si quis amor nostri, si quæ miseratio restat,
 O decus, ô gentis Rexq; paterq; tuæ.
 Respice, desertas regnis pereuntibus vrbes,
 Respice, nec dura mente fer æquus opem.
 Semina ciuilibus discordia supprime motus,
 Fomentisq; leua vulnera facta tuis.
 In te iam populi spes inclinata recumbit,
 Auspicijsq; fauet Teutonis ora tuis.
 Suscipe defessi curam fortissime regni,
 Pro patria Martis nobile perfer onus.
 Reprime Threicij crudelia militis arma,
 Victor & à nostro limine pelle Getas.
 Nec rabiem Scythici metuas viresq; latronis,
 Et tibi sunt vires, & tua tela nocent.
 Sæpè malo timor est maior, rabiesq; Tyranni
 Nota superuacuos cogit habere metus.
 Finge tamen vires inuictas hostibus esse,
 » Plus valet hostili causa furore Dei.
 Causa Dei patriæq; salus est Marte tuenda,
 Ille suæ causæ fautor & actor erit.
 Nec plus (crede) ferox animi grassator habebit
 Quàm Deus, aut armis ante ferendus erit.
 Què non robur equi iuuat in fera bella ruentis,
 Non bellatoris vis rabiosa viri.
 » Vota fidesq; iuuant sincera, precesq; piorum
 » Plus quàm præualidi militis arma valent.
 » Et Deus est fortis, sæuoq; potentior hoste,
 » Et facilis res est omnia posse Deo.

Nec

Nec quicquid præstat, supraque pericula tendit,
 Quod non sit minimum subiaceatque Deo.
 Ille regit populos, illi sunt oppida curæ,
 Illius ad nutum contremit omne solum.
 Conterit exiguis validos hic viribus arcus,
 Confringens forti noxia tela manu.
 Descendit immanes alta de sede Tyrannos,
 Flectit & arbitrio regna ducesque suo.
 Colligat ergo licet gens omnes impia vires,
 Inque tuam vertat robur & arma necem.
 Quid metuas custode Deo? quæ dâna nocebunt?
 Si Deus est tecum quis tuus hostis erit? ”
 Ut durent animos, solidum uic in pectore ferrum
 Aut rigidos filices, aut adamanta gerant:
 Pallebunt trepidi diuina voce tyranni,
 Et fient fastus altaque verba nihil.
 Terga dabunt timidi versis inhonesta manipulis,
 Degenerique cadent, deficientque metu.
 Durus erat Pharaos, curru metuendus et hasta,
 Asperior scopulis, asperiorque freto.
 Is genus Isacidum tractauit durius atrox,
 Supplicij vrgens, seruitioque graui.
 Non illi rabies quidquam, non profuit astus,
 Militis aut robur, non generosus equus.
 Dum tendit medium legionibus ire per æquor,
 Obruit inuisum lubricus humor onus.
 Qui prius Hebræo fatiârat sanguine dextram,
 Purpureas hausit naufragus hostis aquas.

Militibus Gideon modicis delatus in hostem,
 Contudit auspicijs agmina magna Dei.
 Dumq; ruit versis in se gens barbara dextris,
 Occidit captos fortiter ense Duces.
 Paruus erat membris Dauid, nulliq; timendus,
 Imbelli gestans saxa pedumq; manu.
 Ausus is immani concurrere mole Goliæ,
 Oppositi lapidem fregit in ora viri.
 Abscidit et victor stricto caput ense superbum,
 Concidit hic dura sanguinolentus humo.
 Improba nil valuit sæui violentia Saulis,
 Nil nocuere doli, nil nocuere minæ.
 Excidit excussus regnis, opibusq; superbis,
 Suppliciumq; suo cæsus ab ense dedit.
 Quò tua Sennaherib virtus? quò gloria belli?
 Militis & factus quò cecidere tui?
 Ausus es ô validos Solymorū cingere muros,
 Innocuaq; feras spargere cæde manus.
 Sensisti tandem, sensisti numina ferò:
 Non valet in superos vis truculenta Deos.
 „ Arma Deus dat iusta, Dei victoria munus,
 „ Cœlitus hæc tantum, non aliunde venit.
 „ Fidentiq; venit, qui nullo robore fretus
 „ Diuinam polcit non dubitanter opem.
 Quamuis sepe malos sequit, iustosq; relinquit,
 Firmati lapsu quò grauiore ruant.
 Ergo licet vires effundat Barbarus omnes,
 Robore res summo, sauitiaq; gerat:

Si tota Domino confidis mente potenti,
Officiūq̄ facis cum pietate tuum:

Non tibi non tumidis fors inuidiosa procellis,
Non hostes oberunt Marte dolis'ue truces.

In sua velanum dispendia robur habebunt,
Et cedent dextræ barbara castra Dei.

Ne dubita, præsens is erit, scutoq̄ fauoris
Proteget infido corpus ab hoste tuum.

Nec sinet iniustam nimium vim posse malorū,
Hostil'ue pios durius arte premi.

Vtilis imperio quæ sit victoria, dudum
PRAEVIDET ætherea summus ab arce DEVS. DEVS PRO-
VIDET auxilio D̄NS tibi, PROVIDET armis, VIDEBIT
PROSPICIT inuicta PROSPICIET QVE manu. Symbolum
Imperatoris.

Fide Deo, committe Deo tua teq̄, potestas ,,
Fidenti nunquam defuit alta Dei. ,,

Quodq̄ decet, q̄ fas poscit munusq̄ regendi,
Officiū tota mente tuere tuum.

Vrbibus ac miseris optatam confice pacem,
Qua nihil vtilius maximus orbis habet.

Tunc Deus in rebus nunquam te deseret arctis,
Proq̄ tuo partes milite dexter aget.

Tūc Mahometigenas armis excindere gentes,
E domitoq̄ dabit vertice ferre pedem.

Tu quoq̄, si patriæ fuerit tibi cura tuendæ,
Semper in ore piæ posteritatis eris.

Spe modò non dubia ciuiles siste tumultus,
Quodq̄ geres, superum perfice sisus ope.

